OPPORTUNITAS
PERFICIENDI ORATORIS
In Republica Veneta.

PROLUSIO

In Instauratione Studiorum

Anni M. DCCVIII.

Venetiis habita

A CAMILLO EVARISTO CAZZANO

SOCIETATIS JESU.

Rhetorices Præceptore.





VENETIIS, M.DCCVIII.

Apud Joannem Manfrè,

Superiorum Permissu.

PROLUSIO.

VEteri consuetudine receptum est, ut quotannis in solemni studiorum instauratione is qui artem dicendi, docendique profiteatur, ea potissimum rationum momenta palam producat quæ ad inclinandos in amorem Eloquentiæ recentium Auditorum animos plurimum valitura esse videantur. Quod cum mihi muneris esset impositum, diu multumque mecum ipse cogitabam, qua demum ratione id apud Venetos Juvenes assequi possem, quosque ad ineundam libenter; & devorandam feliciter eloquentiæ viam generosis animis stimulos admoverem. Subibant animum multa, eaque non levia; ingenia videlicet vestra, ad hujus quam profiteor artis informationem non tam facta, quàm nata, indoles aurea, & prorsus ingenua, in quamcunque volueris partem inclinanda, amor quidam ingenitus, & aviditas gloriæ quæ facultate, & exercitatione dicendi maximè comparatur: subibāt denique nobilitas artis, fructusque conspicui, Atavorum exempla, atque Parentum, aliaque quamplurima apud eos, qui me audiunt, Adolescentes, magnam vim habitura. Verùm, cum hæc & pleraque hujusmodi addiscendæ Rhetorices argumenta non ita ad vos unos pertineant, ut aliis etiam vobis extraneis convenire posse non videam, statui demum, his in aliud tempus, aliamque con-

cionem rejectis, ea vobis in præsentia ad aggrediendam toto pectore Eloquentiam quasi calcaria subiicere, quæ vel nusquam alios à vobis, vel hic certe vos unos præ cæteris, & urgere suaviùs, & vehementius incitare posse crediderim. Ea siquidem neque communia sunt aliis, neque à vobis peregrina, aut longè dissita; sed Venetorum propria; sed domestica, sed penitus intima quæ beatam navandæ litteris operæ iis, qui Venetiis degunt, necessitatem inducunt. Quod in Republica vivitis, eaque Veneta, hoc unum ad incumbendum totis viribus in artem dicendi, excitare vos magnopere debet, quotquot adestis, Juvenes ornatissimi, & inflammare. Loquar enim vero apertè in hac sapientum corona, quod non sine magno fænore laboris mei facturum me esse confido. Siquidem quanta in Adolescentibus nostris ingenia esse video, studiaque discendi quanta in plerisque vota persequendi quodcunque solidam sapiat, germanamque facundiam; ausim polliceri, si modò commoda, quæ ad perficiendos Oratores Respublica vestra Alumnis Venetis parat, ad comparandam vobis Eloquentiam impendatis, brevi fore numeris omnibus absolutos Oratores. Itaque accipite amabo, quæ de fælicitate Eloquentiæ in Republica vestra dicturus sum, & hac humanitate vestra, qua me tam diligentes attenditis, eum mihi ad dicendum animum excitate, quem cæteroqui debita tanti conventus amplitudini, & dignitati dicentis verecundia, reverentiaque supprimeret. Quod si mihi

tri-

tribui, concedique sentiam, crediderim non modò singularem Venetæ Reipublicæ gratiam referre, quæ bonarum artium Professoribus certam regiam, expeditamque ad Eloquentiam viam aperit, verùm etiam una omnium voce, atque consensu in meam sententiam convenire, quotque hucusque perfecit quotquot vel temporibus nostris.

Respublica Veneta perficit Oratores.

Sed priusquam illa coner attingere, quæ Rempublicam Venetam de Oratoribus optimè meritam faciunt; statuo cum Quintiliano in universo genere dicendi duas inveniri potissimum partes res nimirùm, & verba, quibus mutua necessitudine in Eloquentia conjunctis velut ex animo, & corpore ita constat genus omne sermonis ut si alterutram ab ea divellas, tota penitùs dissolvatur Oratio. Inventionem in rebus, Elocutionem in verbis intuemur; quas qui ad artis amussim scite noverit inter se conciliare, ut quæ sapienter animo excogitaverit, copiosè ab ore depromat, is erit, Judice Tullio, omni laude cumulatus Orator. Siquidem cæteras, quas numerare solemus, Rhetorices partes dispositionem videlicet, & pronunciationem, hanc Elocutioni, Inventioni alteram Tullius subjecit; memoriam verò tam Orationis membrum, quàm dotem Oratoris communem utriusque Custodem constituit. Hæc eò mihi prędicenda putavi, ut quoniam Oratoriæ facultatis primaria capita excogitandi sapienter, planeque dicendi numeris omnibus Oratorem absolvunt, intelligatis, quid

ſperandum ſit in Republica Veneta, quæ & copiosè loquendi una facilè commoditatem ſuppeditat, & quandam affert ſapienter excogitandi neceſſitatem. Atque ut ſuo quæque loco reponam diſtinčteque ſecernam alterum quidem in Republica intuebimur, ſi Reipublicæ Naturam, conditionemque inſpiciamus; alterum verò notum vobis fore confido, ſi quod Venetæ proprium eſt, & ſingulare potiſſimùm conſideremus: enim verò & verborum copiam Reſpublica parat, & Veneta præcipuè ſententiarum, quæ eam demum integram consũmatamque Eloquentiam perficiunt, quam nominavit Orator copiosè loquentem ſapientiam.

Occurram autem neceſſe eſt, & in veſtibulo protinus apprehenſuris enunciatum de Republica veſtra judicium reſiſtam iis, quibus vel iniquè ſentire de Oratoribus exteris, vel non ea qua par eſt in laude ponere, immeritò videamur. Enim verò nunquam auſim inficiari, etiamnum ſcio vel in ejus politiæ genere, quam Monarchicam vocant, non deſiderari Oratores, qui ſapienter, qui copiosè, & rebus, & verbis dicant; qui & in iis, quæ ab ipſis audias, & in iis, quæ in ipſis legas, & magnæ ſibi gloriæ, ex certo aliis exemplo eſſe poſſint. Sed quemadmodum in natura videmus fručtus complures, quorum venuſtatem, & copiam non tam ingenio ſoli, quàm diligentiæ Coloni acceptam referimus; ita in arte, quæ à Natura profečta eſt non tam ea, de qua loquimur pars politiæ, quam eorum, qui Civitates non liberas moderantur, in-

du-

dustria Eloquentiam, Oratoresque perfecit quibus videlicet & extructæ publicis sumptibus Academiæ & ineundæ spes gratiæ apud Litteratorum Mæcenates, & cognita promovendæ in suis Eloquentię Principum vota satiùs, quàm ipsa Natura Regni ad hanc sibi comparandam stimulos quosdam admoverit.

Nam, ut de primo dicam, in quo de copia Orationis est sermo, neminem esse puto, qui neget, Animornm Reginam Eloquentiam libertate maximè delectari, quæ videlicet sine timore, sine servitute, sine molestia non angustata per semitas; sed Domina per campos excurrens quacunque de re proposita, quid sentiat Orator, quid in laude ponat, quid in deliberationibus velit, quid in Judiciis desideret aperta, planaque Oratione pronunciet. Ea enim est indoles Eloquentiæ, ut sive ad populum in Foro, vel Templo, sive in Aula, in privatis, publicisque Conciliis ad Proceres, sive in exedra, & Academia ad sapientes verba faciat, nata sit omnium animis dominari, quos & argumentorum vi, & motuum concitatione, in quam ipsa velit partem unius linguæ imperio traducat universos. Hanc autem in liberis potissimùm Civitatibus vigere dicendi copiam libertatemque loquendi nunquam mihi timidè pronunciandum putavi. Nam quis latior Eloquentiæ campus, in quo liberior excurrat Oratio, quam is, ubi Oratori datur, quidquid in causam cadit libere dicendi locus, ubi nec brevi dicere cogitur, nec modum orandi

ab alio expectare; Sed spatia Orationis; & temporis ex rerum, quas pertractat pondere, & granditate, & ingenita quadam Reipublicæ libertate metitur, ubi omnia in quæstionem, omnia in controversiam, omnia in examen vocantur, Judiciumque Prudentum, & quod ait Tullius, non exiguà quadam Aurificis staterà, sed publica orationis trutinà examinantur; ubi diuturna Senatus, assiduaque consulta oratorem petunt, qui non breviter censeat, sed ingenio, & Eloquentia Sententiam suam tueatur, ubi agendarum causarum ratio id orationis genus requirit, quod non severitate rerum quasi compressis, & in pugnum coactis digitis philosophetur; sed sensa mentis liberè plane copiose romano more depromat: ubi demum quotidianæ, conciones Patrum pene pernoctantium in rostris, & quæsita in omnibus Sapientum placita, & contra dissentientes mordicus propugnata; quin vel eorum, qui audiunt molestiam vereantur; vel suam ipsi fastidiant, cum in plerisque judiciis, & deliberationibus utrique intelligant sua interesse quid judicetur, aut decernatur.

Quæ plane, liberèque dicendi commoda etsi aliqua ex parte in eo politiæ genere locum habeant, quod Monarchicum nominamus; tamen plura sunt eaque non levia, quæ orationis ęque modo ac oratoris libertatem quibusdam quasi septis circumscribunt, & includunt ergastulis; quo minus, cum libuerit, non modo non liberior excurrat, sed ne pedem quidem efferat

tat extra confinia duriſſimæ ſervitutis. Nam cum in civitatibus non liberiùs unius voluntate, & imperio regantur omnia, & unius demum judicio definiantur univerſa, quis porrò locus ſupererit libertati oratoris, vel in concilium vocati, ut ſuam ipſe ſententiam ea ſuper re, de qua agitur, & fuſe declaret, & ſine metu promoveat, & tenaciter tueatur, quæ omnia dicendi copiam faciunt, ubertatemque orationis requirunt; cùm præcipue in ea politiæ partæ id ſæpe contingat, ut ſive ad blandiendi, ſive obſequendi, ſive ineundæ gratiæ, ſive propulſandi periculi cauſa in id ſtatim conſentiant, in quod conjecerint Dominum inclinare. Is enimvero mos apud omnes invaluit, ut ſibi quiſque primum, mox aliis provideat, cùm utrumque ſine alterutrius interitu æquè fieri nequaquam poteſt. Age verò ſit tibi apud Principem liberum, ſapientem, probum quidquid cadit in animum, dicendi locus; quà porro verborum copia tuam apud eum ſententiam dices, qui non modò rerum, atque verborum; verum etiam ipſius, ſi fieri poſſit, brevitatis compendium jure & quidem merito in oratione requirit, cujus videlicet aures æque ac animus magnitudine rerum negotiorumque defeſſæ prolixam vel eorum, quos in re maxima conſulit, orationem ferre nequaquam poſſunt? Nam quid ego loquar de forma judiciorum, & agendarum conſuetudine cauſarum? quæ ſive in foro, ſive in legibus, ſive in magiſtratu non libero petractentur, impexo,

strigosoque dicendi genere agi solent, quod non modo in rethorum officinis cudi non consuevit, sed ne in academiæ quidem spatiis exerceri. Ipsam quin immo curam & diligentiam styli, lætitiamque orationis nescio qua vel consuetudine, vel incuria, vel vitandæ, sibi molestiæ causa non modo facile negligunt, sed omnia quasi punctis confertim agunt, omnia nudis rationum momentis expendunt, & quasi pænulis adstricti, & velut inclusi apud judices philosophantur, non orant. Ita fit ut quam accepimus à parentibus artis, pinguem, latam proceram, plenam succo, plenam viribus, & fuso tanquam per venas sanguine coloratam forensem, & conciliarem eloquentiam, nescio quo hujusmodi politiæ fato, vel infortunio pene agentem animam, & in cadavera declinantem, nec dum senescentem videamus qualem videlicet Zeusis in anu sua expressisse coloribus videatur.

Nimirum pedibus palmo brevioribus illam
Pinxerat, & formam cruris utrique parem
Nexuit bis brevius bustum, gracilesque sub ulnas
Sarcinulæ, in morem cogit utrumque latus
Vix punctum distat cervix caput inter, & armos
Pellis at in jugulum sesquipedale fluit
In geminum extantes humerique, & pectora montem
Consurgunt gibbamque ante, retroque vides.
Per breve quod superest, circumdat fascia collum
Quam sibi de lacerà sindone fecit Anus.
Consimilis formæ, vultusque senilis imago est
Qua nusquam toto tristius orbe fuit
Exsuccam faciem, pellemque colore carentem
Crispatam exesam Ruga Bianti s arat.

Si

Si que aliquis toto late espectabilis ore
Castaneæ tostæ par erat ille color.
Depressum introrsum gerit os, mutilusque superstat
Nasus, & à gutta non abeunte madens
Grande supercilium profert, oculique recedunt
In caveas, alter lippus, & alter erat.
Deque genis passæ, sinuosa lacinia pellis
Pendet, labra pilis quattuor hirta rigent
Gingivas cariosa suis sine dentibus effert,
Vixque stremens hinc hinc unus & alterinest.
Os fusum, enerve, obliquum, mentumque deorsum
Prominet, inque modum se coclearis habet.
Stringit bissenos in vertice vitta capillos
Occipiti nullæ, sincipitique comæ
Quid memorem mores, quos non in imagine pictos
Usque adeò ad vivum pinxerat, esse putes.
Impatiens, blaterans rixosa, maligna petulca
Et rabie semesi indicis ungue minax.
Hæc erat in tela Zeusis quam pinxit imago
Quas modò carpebam digna referre notas.

Enim vero non aliis coloribus exprimenda est oratio eorum, qui verborum copiam in oratione non aspernantur modo; verum etiam in foro, in judiciis, in conciliis, anili quadam siccitate incultæ, & putridiculosæ orationis delectantur, hoc uno dumtaxat discrimine, quod videlicet Anus illa ad risum, hæc vero ad lacrymas, & extinctæ prope modum forensis potissimum eloquentiæ commiserationem commoveat. Oratori enim ubertate copiaque opus est, ut quod ait Quintilianus, quomodo nobiles equos cursus, & spatia probant, ita sit aliquis Oratorum campus, per quem nisi liberi, & soluti ferantur debilitatur & frangitur eloquentia. Neque

hi versatur ob oculos, Rempublicam vestram, animum, cogitationem, sermonemque convertam, quæ videlicet propositi, institutique mei, ocularis mihi testis assistat. Pace modestiæ vestræ dicam quotquot adestis, Veneti Oratores; Ubi nam terrarum hisce temporibus liberior eloquentia dominatur, quam hic Venetiis; ubi nimirum sive forenses causæ, sive Senatus Consulta, sive cætera quæquæ ad Rempublicam pertinentia tractentur, ea est in Oratoribus, ea in Patribus Conscriptis, ea in omnibus, qui verba faciunt, copia Orationis, quæ cum in his omnibus, tùm potissimum in forma judiciorum non imaginem quandam, sed faciem ipsam Romanæ Eloquentiæ nobis ostendat; quam intuentes quotquot huc confluunt advenæ suspensis admiratione animis intersunt utilitate non minore, quam voluptate: Quos ego venia dignos magis putaverim, quod admirentur, quam laude, quod commendent in Republica copiam, ubertatemque sermonis; neque enim id novum, magnumve videri debet in hoc politiæ genere, in quo & expedita ab omni servitute libertas dicendi, & continuæ oratorum in foro, in senatu, in conciliis, in judiciis exercitationes diserte copioseque dicendi necessitatem inducunt; In quo ut cum Quintiliano loquar, sibi quisque persuadet, quantaquisque plus dicendo poterit, tanto facilius honores assecuturum, tanto plus

au-

auctoritatis apud Patres, tanto plus gratiæ apud Proceres, tanto plus notitiæ, & nominis apud populum paraturum: in quo demum diuturno experimento compertum est, neminem sine eloquentia aut assequi posse, aut tueri conspicuum & eminentem locum, aut traditas à majoribus dignitates in ea, qua par est, gloria, conservare, aut muti & elinguis notam declinare in eo optimatum Concilio, in quo potissimum disertum haberi pulchrum, & gloriosum est. Jam verò quis tot ad eloquentiam sibi comparandam stimulis non excitetur, quis hac disertè copioseque loquendi opportunitate, non cum verborum copiam sibi cumulet, & ubertatem, quæ in eloquentia præcipuum locum habet, & secernit à Philosopho Oratorem. Quis erit tam cæca mente, qui modo non videat quanti porrò notam dedecoris nequaquam fugere possint, qui segniter ac desidiose in paranda sibi eloquentia se gerunt ii, qui in ea Republica degunt, quæ copiose loquentes perficit oratores?

Jam verò venio ad alteram orationis partem, quæ non communem cum cæteris, sed Venetorum propriam; sed Reipublicæ vestræ intimam atque innatam perficiendi Oratoris laudem vendicabat. Ac primum quidem absit à vobis, ut cum verborum copiam in eloquentia audieritis celebrari, hac una re finiatis laudem Oratoris. Neque enim cum de Oratore loquimur, sermo est de blaterone aliquo aut locutulejo, qui egrege concionalium Rabu-

ri posset verborum compendio, sententiam suam declararet; is verò, qui ne dum verbo, sed nutu; sed ducta in tabula linea sensus animi significaret, omni dicendi laude cumulatus haberetur, ut videlicet ad ostentationem sapientiæ intelligeres semper plus superesse, quod diceret, quam dixisse, aut sensisse cognosceres. Quando igitur & eloquentia primum quasi spiritum duxit, quando adolevit, & floruit, quando & nomen, & sermo & gloria Oratoris in lucem aspectumque Mortalium prolata sunt? Cum nimirum Athenis primò diuturnæ servitutis septemdecim à Cecrope usque ad Codrum, Principum excusso jugo in libertatem Reipublicæ commigravit. Tunc enim verò eloquentium nomina, plaususque personuerunt, Periclis vehementissimi, qui verborum copia, & granditate excusso quasi tonitru Græciam universam concutiebat, Alcibiadis suavissimi, qui fluentis sine impedimento lenocinio orationis confertum undique ad audiendum populum, in eam, quam vellet partem nunquam pœnitendo exitu inclinabat, Georgii Leontini facundissimi, qui ea dicendi libertate & facilitate pollebat, ut sive in senatu, sive in academia, quacumque de re ex improviso proposita verba faceret, non dicam, excogitata oratione; sed ne coactà quidem sylvà dicendi ad multam diem eleganter æque ac copiosè diceret imparatus; Demostenis demum, ut cæteros missos faciam, eos que non levis notæ oratores, qui ea, quæ vi-

larum , fine lege , fine pondere, fine sapientia , inani quodam ftrepitu fonantia verba pro fundat ; unde apud imperitum vulgus vendibilis repente proclamator exitat; langueat enim , & concidat eloquentia illa neceffe eft , quæ nimio verborum vel ornatiffimorum pondere onerata , fi non fulciatur fapientia , fi quas habet vires , enervat , fenfus obumbrat , & velut læto gramine fata præfocat . Sed de eo in præfentia oratore loquimur , ejus eloquentiæ laude prædito, quæ fcientiam complexa rerum fenfa mentis , & confilia apud veteres Græcos apud Romanos , & horum Principem Tullium nomen obtinuit copiosè loquentis fapientiæ , quæ videlicet non modo genus fermonis afferat liquidum fufum , ac profluens , verum etiam plenum non fine nervis , & viribus quod partitæ fuffulciant expreffæque fententiæ ; quibus nifi roboraveris , & confirmaveris orationem , à propofito Oratorum fine difcedes : Neque enim verborum vel copiofiffimorum fonitu fidem facies, nulla fubjecta fapientia : quæ fi facilius divulfa & quafi difcerpta contrectes , tanquam ab animo corpus , fic a fententiis verba fejunges, quorum fine interitu fieri neutrum poteft . Hanc autem orationis partem fentiendi fapienter fuo quafi jure ita fibi vendicat Refpublica Venetorum , ut in hac præcipue veteres ante ire videatur. Dicam enimverò plane quod fentio , quod fi attentis animis accipietis , non adulationis gratia id à me di-
ctum

ctum putabitis , sed veritatis . Neque enim volo vos existimare , cum hanc eloquentiæ laudem tanquam propriam , atque domesticam vobis adstruo , eam me veteribus oratoribus usurpare . Scimus enim & sine temeritatis notà inficiari non possumus eos non nobis solùm ; sed universo terrarum orbi , & principes , & magistros dicendi extitisse . Verum autem si Quintiliano de veteribus Oratoribus ferenti sententiam consentiamus, eam qua floruerunt laude , gloriaque dicendi , non tam conditioni Reipublicæ , in qua degebant , quàm egregiis , quibus præditi erant à natura dotibus ita referemus acceptam , ut copiam quidem orationis Reipublicæ libertati , sapientiam verò ingeniis oratorum maximis, & studiis diutissimis concedamus . Nam cum eo politiæ ductu veterum plerumque Respublicæ gererentur , quem domocraticum vocant in quo videlicet omnia populus , omnia imperiti , omnia , ut sic dixerim, omnes poterant , sanè in oratore plus ubertatis , & copiæ , quæ ad permovendum populum plurimùm valent eorum temporum conditio requirebat , quam scientiæ & sapientiæ, quæ apud rude vulgus vendibilis nequaquam merces haberi solet . Itaque , quod insinuat de veteribus Oratoribus Quintilianus facile perferebat prior ille populus , ut imperitus & rudis fusarum Orationum spatia , atque idipsum laudi dabatur , si dicendo quis diem eximeret ; & si quis odoratus philo-

losophiam , ex ea locum aliquem popularem orationi suæ insereret , in cœlum laudibus ferebatur . Hanc autem politiæ partem , cum principes antiquorum Respublicæ secutæ sint , nimirum Rhodiorum , Carthaginiensium ; Atheniensium potissimum , nec non plurimum , si livio credimus , Romanorum , quis non intelligat demum , veterum Oratorum sapientiam , non æque modo ac copiam orationis earum conditioni Rerum publicarum esse referendam ? Quare Oratores illos , quos magistros dicendi colimus , & veneramur , copiosos quidem faciebat Respublica , in qua orabant ; sapientes verò academiæ spatia , maxima ingenia , studia assidua , quæ iis non tam ex Republica , quam in Republica parabantur . At verò in Republica venetorum dissimilis prorsùs est ratio , in qua in foro , in senatu , in privatis , publicisque conciliis , non populum , aut homines leviter eruditos , sed optimates , sed sapientes alloqueris ejus Reipublicæ partes , & membra , quam *aristocraticam* dicunt , quam Morales philosophi , & horum Princeps Aristoteles perfectam absolutam optimamque publicæ politiæ partem nominavit . In hoc autem cætu sapientum quantà oratori sapientia opus est , in quo nimirum non expectatur , ut inanium granditate verborum aures obruas , aut delicatulæ orationis illecebra , lenocinioque pellicias ; sed ea , quæ ad faciendam fidem pertinent & evincendam Sententiam

tiam ; quæ ad justitiam , & æquitatem in judiciis , quæ ad utilitatem & commodum in deliberationibus ; quæ ad honestatem, & laudem optimorum in demonstrationibus , postulantur . Perge porrò quantam peritia legum sanctissimarum quantam jus civitatis amplissimum, quantam prudentissimorum virorum præcepta, & dogmata , quantam magna concilia de bello , de pace , de confederatione , de cæteris omnibus in Optimatum conventu examinandis sapientiam requirunt ? Quare Venetæ Reipublicæ Proceres sibi opus esse intelligunt , non ut ludrice Rethorum scolis declament , non ut fictis , & nullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo & vocem exerceant , sed ut ea sapientia pectus impleant , quæ omnes scientiarum partes complexa , & subtilitate dialecticæ ad scite de quacumque re propositâ cognoscendum ratiocinium dirigat , & partis moralis utilitate mores hominum affectionesque cognoscat , & ope politiarum benè gerendæ conservandæque Reipublicæ rationem doceat . Hæc enim est Oratori in Optimatum Republica degenti subjecta ad dicendum materies , in qua copiosè , & variè , & ornatè , & pro dignitate nemo dicere potest , nisi qui pluribus artibus , & omnium pene rerum scientia exundantem, & exuberatem loquentiam sit consecutus .

Accedit autem , quod in arte dicendi principem locum tenet , ut cum rationum mo-

momentis roboraverit orationem , & eos qui audiunt , ſuam in ſententiam deduxerit , de iis demum animorum permotione triumphet ; quod ſi non ea , quam & rerum , & cauſarum natura ratioque requirit , arte præſtabit , nihil ſane egiſſe dicendo videatur Omnis enim ratio dicendi , quæ duabus ad orandum maxime rebus eſt nixa , ut probemus ea vera eſſe , quæ dicimus , & eos qui nos audiunt in quemcumque voluerimus motum vocemus , in hac ultima celebratur , laudatur in illa , eà convincit , hac perſuadet , illic obſidet mentem , hic animos ipſos expugnat . Hæc autem concitandorum affectuum diſciplina , quantam porrò in eo oratore ſapientiam requirit , qui hanc eloquentiæ abſolutam , conſummatamque virtutem apud ſapientes viros aſſequi velit ? Nam quemadmodum inter ea , quæ fidem faciunt , alia craſſiora quædam , & mole grandia populum , alia vero ſubtiliora , & graviora Proceres decent : Ita in tractatione animorum ſummos habet diſſimilitudines eloquentia. Ea enim eſt vulgi natura , populique conditio , ut non exquiſito ab arcanis ſive naturalis , ſive moralis philoſophiæ concitandorum affectuum magiſterio ; ſed vel ſolà vocis conformatione ad lætitiam , ad lacrymas , ad manſuetudinem , ad indignationem compoſità ; facile excitetur , leniatur , inflammetur & clamore quodam , ſtrepituque Oratoris , in quamcumque libuerit , partem deducatur . Quare
Sa-

Sapientissime Athenis lata lex fuit, ut quoties orator ad populum dicere aggrediebatur, publici Præconis voce inhiberetur, ne ad ea quæ vel judicanda vel deliberanda agebantur, ullam animi permotionem excitaret; sed propositis expensique rationum momentis, unius rationis judicio, sententiæque relinqueret: non propterea quod hanc patetici Oratoris partem à perfecta, absolutaque oratione relegarent, quam vel ipsi primam Oratoriæ laudem fatebantur, modo in eo auditorum cætu verba facias, in quo animorum per motiones judicium, rationemque sapientum subsecutæ nullum corrumpendæ eloquentiæ periculum dicenti creant; sed quia videlicet norant periti Legislatores, quam facile imperitum vulgus vel inani dumtaxat sono, strepituque verborum ad quemlibet animi motum concitetur, unde non quod ratio, & natura propositæ causæ postulat, sed quod suadet affectus, dijudicet plerumque atque deliberet. Nimirum subit hic animum non illepidi capitis recordatio, que non tam risum mihi ciet, quod amænum orationis jocum meminerim, quàm moveat admirationem, quod arcana divini Consilii misteria, sapiemtiamque commendet; ut ut sit, in hanc orationis partem, commodum cadit.

Non procul adriacis insignis Rhetor ab oris
Palladis auspiciis reducem felicibus annum
Ritè salutabat, legemque, modumque daturus
Ingeniis Juvenum, quos Rhetoris arte colebat;

Cir-

Circumquaque ingens geminum bis ductus in orbem
Consedere Virum numerus, quos prima senatus
Munera secernunt populo, quos copia fandi
Quos rerum causas studium tentare latentes
Laudat, & emeritis crines insignibus ornat.
Ille salutatam latio sermone coronam
Alloquitur, belleque docens ingentia promit
Dogmata, quæ late numeros digesta per omnes
Explicat orandi seriem, legesque ciendi
Pectoribus, quoscumque velis ex ordine motus
Jam prope finis erat fandi, cùm percitus æstro
Palladio segnesquè animos, & avara doceri
Ingenia insequitur diris, & voce potenti
Increpat, enixe quam tòto pectore trudit.
Intereà limen templi (namque illius urbis
In templo alloquitur Rhetor) quod in ampla patebat
Atria, præteriens quis nescio forte colonus
Audiit orantis vocem qua tota sonabant
Atria, nec fandi causas, nec plura secutus
Quærere templa subit: Vis ò divina loquendi
Gnaviter, ò quid non mortalia pectora cogis,
Constitit Erectus quantum supereſſerat omni
Posticus caput in turma, fixasque tenebat
In vocem patulas aures, & in ora loquentis
Grande supercilium, quamvis an verba Magistri
Ducta vel hebrais, vel græcis, sive latinis
Codicibus, ne dum sint ittala, noscere possit;
Nam qui sexdenis ruri traduxerat annos
Lodinis, fætos proscindere vomere campos
Inserere arboreas soboles, & quæque coloni
Munera, non abacus nec quid sit littera, norat.
Intereà magis, atque magis clamore theatrum
Omne replet Rhetor, stupet, admiratur, & ardet;
Exedra percutitur palmis, & voce tonanti
Insonuere tholi, strepero que sacella fragore.
Ruricola attonitus primè, mox per citus illo
Mur-

Murmure, nunc magnà plenum formidine pectus
Sentit agi pallet, trepidatque, & anhelitus oris
Lentior infendi notat argumenta timoris
Eruta nunc imo ducens suspiria corde
Totus it in lacrimas, & pugnis pulsa sonoris
Pectora contundens, Divosque, deumque vocabat
Pronus humi, junctas tendens ad sydera palmas
More petentis opem Misero, veniamque precantis.
Plura quid enumerem? nec dum finem ille loquendi
Fecerat, impatiensque moræ, nec missa dolori
Ultra fræna regens prosternitur ante tribunal
Judicis, e cœlo cui copia facta ligandi
Solvendique animos noxis, & crimina fassus
Exactæ vitæ lacrimis abstersit obortis
Quantis Massiliæ mollitas Magdala rupes
Imbuerat, Solymive Petrus Prætoria Regis
Tum verò hos gemitus, contritaque pectora judex
Miratus, causam fletus scitatur amari.
Fare quis eruerit lacrimas, quæ causa dolorem
Excierit tantum, quæ ferrea pectora fregit
Machina dicentis, divinaque copia fandi?
Ille refert flendi causam, remque ordine pandit.
Quem simul ac titulum lacrymandi agnovit, & omnem
Accepit seriem casus, quod Rhetora fantem
Audierit, non qui mores laudarit honestos,
Non quibus ultrices vindex Astræa flagello
Infligat pœnas, non quæ divina paravit
Præmia, non quales victoribus illa coronas
Partiat, aut victis nectat, licet æqua catenas;
Sed quibus Orator dicendi legibus omnes
Per numeros ductus, conformatusque peroret
Vix se continuit quin solveret ora cachinnis.
Sed mage divinæ fatum mirabile mentis
Obstrupuit tanto nimirum dissita fine.
Verba movere viro lacrimas non apta movendis
Usque adeò non artis opus popularia flecti

Pe-

Pectoraque soloduces quocumque placebit
In quemcumque velis motum clamore fragosæ
Vocis & horrisono quatiens subsellia gestu.

At verò si sapientes alloqueris, quotquot videlicet in Republica Veneta sunt Optimates, quanta in concitatione animorum, in quà triumphat eloquentia, oratori sapientia opus esse intelliges apud eos dicenti, quos in nullos sane vocabis animi motus, nisi ea, quæ ad eos permovendos à Natura Sapienter instituta sunt, in promptu & præmanibus habeas, ut recluso in Auditorum animos aditu opportunè ad moveas? Porrò tenenda est universa de affectibus scientia quæ & Philosophi naturalis est, ut eorum causas à natura petat, & moralis, ut eosdem honestatis, ac turpitudinis capaces ostendat, & politici, ut iis quæ Reipublicæ utilia; quæ nociva sunt, quæ gloriosa, quæ turpia, quæ supervacanea quæ necessaria aptè scitèque explanatis, ad ea decernenda, & amplectenda, ad hæc verò vitanda, & fugienda, non vulgus imperitum, non homines leviter tinctos sapientia, sed gravissimos, prudentissimos, sapientissimos viros, digna eorum, qui audiunt, digna ejus, qui dicit oratione permoveat, ac prope compellat. nam qua ratione id assequetur Orator, qui tractandarum in optimatum corona maximarum rerum commoda, vel detrimenta, qui eorum apud quos dicit, naturas, ingenia, animique pro pensionem ignoret, qui se non tam altè insinuet in eorum animos, ut cum opus sit, alias affectiones,

alios

alios ſenſus, naturam pœne aliam victor imponat? Quare videtis Adoleſcentes optimi, quam in vobis non modo copioſe loquendi commoditatem, ut in altera orationis parte attingere conatus ſum; verum etiam ſentiendi ſapienter neceſſitatem Reſpublica Veneta oratoribus ſuis inducat; in qua ſi quis hujus tam neceſſariæ ſapientiæ ornamento caruerit, parùm ſibi verborum copiam pro futuram eſſe intelligat, ut Orator in Republica Veneta habeatur.

Quamobrem ut ad extremum, quid de utraque parte orationis meæ potiſſimum ſtatuam, paucis abſolvam, de altera quidem ſentio nullum eſſe politiæ genus, in quo loquédi copiosè latior pateat campus, quam in Republicà in qua Oratores ſine timore, ſine ſervitute ingenità quadam libertate perorant, de altera autem ſentio in Republica maxime Venetorum, optimatum videlicet, atque ſapientum etiam ſentiendi ſapienter neceſſitatem, quas Oratori dotes niſi conciliaveris intelliges alterutram non tam adeſſe cum laude quam deeſſe cum dedecore Veneti Oratoris, qui demum apud vos ita conformandus eſt, & verbis, & ſententiis, ut quemadmodum, quod ait Tullius, qui utuntur armis, aut paleſtrà, non ſolum ſibi vitandi, aut feriendi rationem eſſe habendam putant; ſed etiam ut cum venuſtate moveantur, ſic verbis quidem ad aptam compoſitionem, & condecentiam, ſententiis verò ad gravitatem utatur, ut ii qui in armorum tractatione verſantur. Reliquum eſt, Adoleſcentes optimi,

timi, ut in studiorum vestrorum ratione comparanda, id animo firmiter statuatis, hac Reipublicæ vestræ ad assequandam utramque Eloquentiæ Venetæ laudem opportunitate beataque necessitate non uti segniter, sed eam ad perficiendam in vobis artem hanc nobilissimam, ac Venetis pernecessariam toto pectore animique contentione traducere. Cogitate identidem attentis animis quanta sit gloria, in hoc cætu Patrum, in hoc sapientum senatu gnare plane que dicere; Contra vero quantum dedecus mutum, & elinquem sine seusu, sine sapientia indigitari in quo non tam fumosis imaginibus non tum ducto per Atavorum amplissimorum venas sanguine, quam sapientia & facundia optimates Veneti commedantur. Recolite animo vota Reipublicæ vestræ, quæ in hujus spem gloriæ, & publicæ utiliatis vos educat, & exemplis accendit cum eorum, qui in præsentia in Republica degunt, & sua ipsi luce se produnt, quin injuria modestiæ vestræ meum illis lumen accedat, tum veterum Proavorum, ac Dinastarum, ex quibus centum octoginta tres Oratores, non populari laude commendati, in Venetorum fastis conscripti sunt ad Reipublicæ vestræ laudem sempiternam: quorum nomina, aut merita, aut propriam in unoquoque germanæ eloquentiæ laudem singulariter persequi, ne vobis gravior, aut omissis aliis alios recensere, ne in hoc discrimine laudis cuiquam viderer injurius, non esse existimavi Consilii, institutique mei.

Apud

Apud vos ſunt , quos teratis manibus ; quos oculis uſurpetis . In hos coniicite mentem , animumque convertite Adoleſcentes optimi , ſpes non ultima Reipublicæ Venetæ , & cogitate, eadem vobis commoda ad perficiendam in vobis eloquentiam non deeſſe , quibus illi non caruerunt quibus Oratores optimi perfecti ſunt . Tunc enim verò demùm fiet , ut quæ de principio propoſui, non tam ex mea ſententia , quàm veſtro ipſi experimento vera eſſe ſentiatis, IN REPUBLICA VENETA PERFICI ORATORES.



F I N I S.